

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

150. Menstruum mixtum Paracelsi

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

Paracelsus sequens Menstruum mixtum confecit pro Arcano Lapidis vel Antimonii.

150. Menstruum mixtum Paracelsi,
Cap. 6. Lib. X. Archidox. Pag. 39.

QUicumque metallicum suum Cœlum (*Antimonium*) ad summum gradare cupit, & in actum reducere, ipse debet primo ex vita, id est, Mercurio vulgi, primum Ens liquidum, cœlestem Ignem, quintam Essentiam Mercurii (*non Solis; uti malè legitur*) & acerrimum Acetum metallicum (*Circulatum majus Paracelsi sub No. 51. descriptum*) extrahere, per solutionem cum sua matre, id est, Arcano salis (*sale circulato sub No. 27.*) & cum stomacho Anthionis, id est, spiritu Vitrioli (*menstruum sub No. 98. descriptum*) permiscere, & in eo (*Menstruo mixto*) Mercurium Antimonii coagulatum (*Regulum Antimonii*) solvere digerere, &c.

Ex Receptis observamus,

1. *Menstrua hæc esse diversorum Menstruorum commixtiones.*
2. *Et fieri posse ex omnibus Menstruis Vegetabilibus & mineralibus invicem commixtis ad Artista placitum.*
3. *Eò meliora tamen fieri, quo Menstrua fuerint magis tingentia.*
4. *Menstrua hæc per digestionem fieri dulcia & pura Menstrua Vegetabilia.*